

finet *Commentarium in Isaiam* prophetam, cujus autor est *Joa- chimus Calaber Ord. Cisterc.* primum *Curatii* Abbas, dein *Congregationis Florensis* institutor, vir, ut multis visum, spiritu prophético, aut saltē magno intelligentiae dono, et doctrina non vulgari praeditus, Sec. XII. Scriptor. Initium Codicis nostri *ἡσέρον προτερον* compacti nunc est a C. XIII. *Isaiae* hoc tenore: *Ecce in provinciis istis Auster et oriens describuntur quae et quia date sunt in Atrium exterius &c.* Coincidunt haec cum *fol. 28. edit. Venetae* Commentarii hujus per *Laz. de Soardis 1517. 4.* Deficit itaque loco suo *Prologus* et XII. *Capp.* expositio, cetera usque ad finem salva sunt; at vero *fol. 26. Prologus* et praedicta expositio subsequuntur. *Figurae*, quae in *edit. supracit.* Commentarium antecedunt, nobis a *fol. 21 — 25.* unacum adjectis notis habentur, et quidem tribus plures, *Aquila* videlicet, *Arbores* duae et totidem *Specula manualia*, quarum Lemmata hic adponere difficiles nugas censemus. *Schemata* vero, quae Enumerationem *Regionum* circulis conclusarum exhibent, quaeque in *edit. a fol. 9.* usque ad 28. visuntur, in *Cod. nostro a fol. 32.* ad finem pertingunt. Ultimum est *Santa seuerina.* Itaque maximam partem deficiunt. De Autore ejusque Scriptis, quae *των' Αποκαλυψεων* studiosi vel hodie nare sagaci persequuntur, adi *Papebrochium Aët. SS. T. VII. Maji 29.*

p. 89. aut *Fabricii Bibl. T. IV. p. 39.*

CIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 533 XV. Folior. 190. 4. a Diversis conscriptus et olim e Bibliotheca homiletica, quae multa jam nobis subpeditavit, *Wenceslai Rossii*, ut ejus nomen *1519. fol. 6.* et iterum *Vlassimii 1540. fol. 156.* inscriptum testatur, sequentia complectitur: I. Fragmenta cujusdam Sermonis *de Poenitentia*, qui incipit: *Beati quorum remisse sunt iniquitates. loquitur propheta in persona penitentis &c.* et Quaestionis *de Irremissibilitate peccati in Spiritum S.* hoc initio: *Orationibus in christo premissis. Quia dubitantibus sanum est consulere &c.*

II. *fol. 3.* sequitur: *Lectura Magistri Stephani de Colonia sacre Theologie professoris super yzaiam prophetam.* Initium: *Uiso yzaie etc. Liber iste diuiditur in titulum et tractatum. Vel primo describit suam propheciam. 2° subiungit descriptam &c.* De Autore nil reperio. Vastum fuisse oportet ejus Commentarium, siquidem *Prophetam* emensus est, cum, quae habentur in *Codice, Caput II.* non superent. Multa lectu digna continet. Ita *fol. 64.* in C. II. v. 4. *conslabunt gladios suos in vomeres*, haec habentur: *Sed beu- bjs iam mestis temporibus res uersa est in oppositam qualitatem. Ita ut iam non gladios in vomeres sed e conuerso vomeres in gladios com- mutant*

mutent per abusum. Vomeres inquam commutant in gladios, cum ueritatem dimittentes per mendacia populum in foueam dampnacionis perpetue detrudunt; predicant enim quosque dignos uenia, quum tamen odio digni sunt et a participatione Christi fidelium excludendi. Hinc est quod per abusum preciosum illum thesaurum dissipant magis utique quam dispensant. Dicunt enim remissionem eos obtinere peccatorum pro quocunque modico subsidio temporali largas indulgentiarum gratias populis simplicibus condonando, quod falsum est omnino et absurdum. Vbi aduertendum, quod indulgentiarum donaciones ad potestatem ligandi et soluendi pertinent &c. Qua occasione plura non spernenda de hac materia.

III. fol. 112. Collectanea homiletica in *Epistolas* et *Evangelia* in Ecclesia legi solita. Initium ab *Epistola Jacobi*: *In hac Epistola beatus Jacobus apostolus premia bonorum ostendit que per patientiam adipiscuntur* &c. Quae sequuntur, potissimum ad *Aduentum Domini* pertinent.

IV. fol. 157. Alia Collectanea: 1°. de *Caussis*, cur Christi Corpus in *Missa* eleuetur. 2°. de *Acceptione Munerum* et *damnis* inde *provenientibus*. 3°. *Fragmentum Missae de Lancea* et *Clavis Domini*. 4°. *Homiletica* pro tempore *Paschali*. Omnia *levioris momenti*.

V. fol. 176. *De Corpore christi et contra infideles huius sacramenti*. Initium: *Impugnantibus uerba ewangelij et ignorantibus cir-*

ca sacramentum dominici corporis &c. Ad calcem: *Et sic est finis sermonis magistri. H. quem fecit in die corporis christi coram clero et communi populo in Boemico. Anno domini M°CCCC°VIII°.* Reipsa *Joh. Hussi* est, ut indicavimus *Cod. CCCXXIII.* et alibi, ubi additum, haberi in *Edit. Opp.* Ejus *T. I.* p. 202. sed Editores in *Exemplo* suo nec notas *Temporis* habuere, nec scivere, *versionem esse e lingua Bohemica.*

VI. fol. 181. *Utrum christus omnem sanguinem qui de corpore suo effluxit in eodem corpore hora resurrectionis glorificauit.* Initium: *Nota quod christum sanguinem qui de corpore suo effluxit* &c. Est pariter *Joh. Hussi*, extatque *Opp. T. I.* p. 191. nobis vero *Codd.* aliis, ut docet *Index.* Ultima bina *Cod.* folia ad *Fragmenta* spectant, a quibus *N. I.* recensum auspiciati sumus.

CIV. VI. 75

Codex membraneus lat. Sec. 389 XIII. Folior. 64. 4. probe scriptus, literis initiorum rubro viridique variis est *Commentarius in Threnos Jeremiae* defloratus ex amplioribus *Commentariis Paschastii Rathberti O. S. B. Abb. Corvejenf.* in dioec. *Ambianensi* Scriptoris *Sec. IX.* qui leguntur in *Bibl. PP. Lugd. T. XIV.* p. 759. juxta edit. *Sirmond. Paris. 1618. f.* Deflorator ex *Operis clausula* huc revocandus, ubi legitur: *Sufficiant hec in lamentationum Jeremie. que de patrum fontibus hausi*
S 3 ego